

Quellen zu Shakespeares „Kaufmann von Venedig“

Gesta Romanorum 251, append. 55 u. 195

Die drei Kästchen

Honorius¹ regnavit dives valde. Qui unicum filium habebat, quem multum dilexit. Fama istius imperatoris per mundum volabat, quod in omnibus probus erat et iustus. Tamen contra unum regem guerram² habebat et eum devastabat. Rex iste, cum multas persecutiones ac damna infinita ab eo sustinebat, tandem cogitabat: „Tantum unicum filiam habeo, et adversarius meus unicum filium. Si per aliquam viam filiam meam possem filio suo³ in matrimonium copulare, pacem perpetuam obtinerem.“ Misit sollemnes nuntios ad imperatorem, ut saltem ei treugam⁴ ad tempus concederet, quod cum eo personaliter loqui posset. Imperator habito consilio treugam unius anni concessit. Rex vero personaliter ad eum accessit et filiam suam filio eius obtulit. At iste: „Non faciam, nisi post decessum tuum totum regnum tuum filio meo destinatur.“ At ille: „Bene placet mihi.“ Statim de conventionem charta sigillata est. Rex vale imperatori fecit.

Cum autem ad regnum suum venerat, navem parari fecit, quia oporteret, ut filia sua per mare ad imperatorem transiret. Nave facta et omnibus necessariis paratis puella intravit habens thesaurum secum in magna copia ac milites quinque cum ancillis.

Cum advenisset puella, imperator ait: „Carissima filia, bene tibi sit nunc et in perpetuum! Sed tibi dico, filia: Antequam filium meum habueris in maritum, te probabo per unum actum.“ Statim fecit fieri tres cophinos⁵. Primus erat de auro purissimo et lapidibus pretiosis, et erat talis inscriptio super cophinum: Qui me aperiet, in me invenerit, quod meruit. Et totus cophinus erat plenus interius ossibus mortuorum. Secundus erat de argento purissimo plenus gemmis ex omni parte, qui talem superscriptionem habebat: Qui me elegerit, in me invenerit, quod natura dedit. Iste cophinus terra plenus erat. Tertius cophinus erat de plumbo habens superscriptionem talem: Potius eligo hic esse, quam in thesauris regis permanere. In cophino isto erant anuli tres pretiosi. Tunc ait Imperator puellae: „Carissima, hic sunt tres cophini: eligas, quemcumque volueris; et si bene elegeris, filium meum in maritum obtinebis.“

Illa vero tres cophinos intime⁶ respexit et ait in corde suo: „Deus, qui omnia videt, det mihi gratiam sic eligendi, ut non deficiam.“ Quae primum cophinum tetigit et scripturam legit. „Cophinus“, ait, „exterius est pretiosus, sed quid interius lateat, penitus ignoro; ideo eum eligere nolo.“ Deinde secundum legit et ait: „Nunquam natura dedit, quod filia patris mei deberet copulari filio imperatoris.“ Et ideo tertium legit dicens: „Melius est mihi cum filio regis esse quam in thesauris patris mei!“ Et alta voce clamabat: „Istum cophinum tertium eligo!“ Imperator cum audisset, ait: „O bona puella, satis prudenter elegisti. In isto cophino sunt tres anuli pretiosi: unum pro me, unum pro filio, tertium pro te in signum desponsationis.“ Statim fecit nuptias celebrare et tradidit ei filium suum, et sic in pace vitam finiverunt.

¹ Honorius: weström. Kaiser 395 – 423 (hier nur rein äußerliche Anknüpfung an eine historische Persönlichkeit)

² guerra, -ae f.: mittellat. von einer germ. Wurzel, vgl. engl. war

³ = eius

⁴ treuga, -ae f.: Waffenstillstand (von germ. Wurzel; vgl. „treu“)

⁵ von griech. κόφινος = Tragkorb; hier: Kästchen (vgl. engl. coffin, dt. Koffer)

⁶ intime adv.: genau

Der unerbittliche Gläubiger

Ein Ritter hat, um die Liebe eines Mädchens zu gewinnen, unter der später angeführten Bedingung ein Darlehen aufgenommen und die vereinbarte Frist für die Rückgabe versäumt.

Miles ad mercatorem perrexit et eum satis honorifice salutavit dixitque ei: „Domine, diem meum non tenui. Igitur graviter deliqui et pro delicto tibi pecuniam duplicabo.” Ait mercator: „Carissime, scire debes, quod conventionem¹ meam servare volo, qua per litteras es mihi obligatus.” Qui ait: „Si ergo ad hoc non vis assentire, pete a me, quantum volueris, et obtinebis.” Ait mercator: „Quid verba multiplicas? Iam dixi tibi; crede mihi, conventionem ascriptam² inter nos habere volo.” Statim fecit eum capi et ad iudicium duci. Lex autem erat, quod, sicut homo voluntarie se obligaret, ita et iudicium reciperet.

Interim puella exploratores habuit, quomodo de amasio³ suo tractaretur⁴. Exploratores revertentes nuntiaverunt ei, quod ad iudicium ductus fuerit. Puella hoc audiens ait intra se: „Si ille morietur, ego ero rea. Non ita fiet.” Statim crines capitis sui perscidit ad modum viri, vestes mulieris mutavit et sicut vir per omnia se praeparavit ascendensque dextrarium⁵ ad iudicium equitavit.

Cum autem iudex eam vidisset, notitiam eius in nullo habuit, quia credebat eam esse virum, et dixit ei: „Carissime, unde venis?” Quae ait: „De partibus marinis venio. Casu per istam civitatem transitum feci et a viris fide dignis audiui, quod quidam miles hic inter vos per quendam mercatorem male sit tractatus, et ideo iudicium intravi, ut militem a morte liberarem.” Ait iudex: „Carissime, illum iuvare non potes, quia lex huius regni dictat, quod, sicut homo se voluntarie obligaverit, sic sine contradictione iudicium recipiat, si conventionem non impleverit. Miles iste convenit cum mercatore illo pro quadam summa pecuniae, quod, si non solveret die statuto, habeat potestatem plenariam in toto corpore, ubicunque ei placuerit, tantum pondus, quantum sit de pecunia, abscidere; et ideo hoc nullo modo potest fieri, nisi occidatur.” At illa: „Si mercator hoc tantum concederet, ut vita eius redimi posset, numquid tibi placeret?” Qui ait: „Peroptime!”

Conversa puella ad mercatorem ait: „Care, quid prodest tibi, si occidatur ille? Nonne melius est tibi aurum et argentum recipere quam mortem eius videre?” Ait mercator: „Bone domine, si posses mihi totum imperium dare, vitam eius non concederem.” Quae ait: „O bone mercator, ex quo⁶ iudex vitam eius desiderat, fac tu similiter.” At ille: „Quod dixi, dixi et in corde meo affirmavi.” Quae ait: „Domine iudex, ex quo ita est, quod nec prece nec pretio iste mercator potest flecti, peto instanter, ut legem exerceas tam pro milite quam pro mercatore.” Dixit iudex: „Quidquid lex iubet, hoc implebo.” Ait illa mercatori: „Dic mihi, in qua parte corporis carnes eius velis abscidere.” Et ille: „In pectore, ubi cor iacet.” Quae dixit iudici: „Domine mi, coram omnibus dixisti, quod iustitiam velis tenere pro milite sicut pro mercatore. Ex quo ita est, peto instanter beneficium legis. Lex dixit, quod, quicunque sanguinem alicuius effuderit, sanguis eius pro eo effundatur. Miles iste tantum conventionem fecerat de carnibus abscidendis, non de effusione sanguinis. Tu ergo, mercator, impleas conventionem tuam, ubicunque volueris, in toto corpore eius; sed videas, ne sanguinem effundas.” Dixit ei mercator: „Ex quo ita est, da mihi pecuniam meam, et

¹ conventio, conventionis f.: Vertrag

² ascribo 3: schriftlich festlegen

³ amasius, -i m.: Liebhaber

⁴ quomodo ... tractarentur: wie es ... erginge

⁵ dextrarium, -i n.: Pferd

⁶ ex quo: da

tibi remitto actionem¹, quam contra te habeo." Quae ait: „Dico tibi, quia non denarium ab eo obtinebis. Coram omnibus tibi obtuli, et renuisti!" Et conversa ad iudicem ait: „Carissime, da iudicium!" Qui ait: „Vita est salvata militis. Numquam evelli potest sine sanguinis effusione, de quo mentionem fecit in conventionem; et quia mercator renuit, quod suum erat, transeat ergo sine solutione!" Illa cum hoc audisset, gratias iudici reddidit et exivit et equum ascendit et domum equitavit. Omnes autem ad iudicem sedentes dixerunt: „Miles iste recedens miro modo et sapienter militem illum salvavit." Et omnes credebant eam esse virum. Finito autem iudicio omnes recesserunt, et mercator ad domum suam confusus abiit. Miles autem ad domum puellae ivit. Illa autem interim ornavit se sicut prius ad modum mulieris et amplexata est eum et ait: „Carissime, quomodo evasisti hodie?" Qui ait: „Ego eram adiudicatus morti, et subito intravit quidam miles iuvenis valde et sapiens et generosus et eloquens, qui per sapientiam suam me liberavit et ita sapienter loquebatur, quod etiam nihil mercatori teneor solvere, quia iudex pro me sententiam dedit et mercator sine solutione abiit." Dixit puella: „Ex quo te Deus per sapientiam huius militis salvavit, quare ipsum ad prandium non vocasti?" Respondit miles: „Subito intravit et finito iudicio exivit, nec postea potui ipsum videre." Respondit iuvenula: „Si eum videres, numquid notitiam eius haberes?" Qui dixit: „Optime." Illa cameram intravit et sicut prius se ornavit. Quo facto exivit. Miles, cum eam vidisset, ultra quam credi potest, gaudebat et osculatus est eam et ait: „Benedicatur hora, in qua fuisti nata!" Post hoc cum magno iubilo eam uxorem duxit, in et pace dies suos finierunt.

¹ actio, actionis f.: Verfahren